



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

Γ. Protei Homerici imagines ad Parthenium translatae. Minæ & diræ in
hostes Virginis. Proteus, chaos; eius formæ, Elementa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

multis variisque rebus congestum nominat; & hinc *ἀλιζεν* Græcis esse, quasi *congregare*. Quid dicam? Etiam hoc Originis mysterio Proteus noster *ἀλιος* est: congestus & accumulatus tot versibus, quot cælum stellis instructum. Denique Homericus ille, *νημερής*, siue *veridicus*: sed magis noster; Virginem laudat. Huius qui Dotes stellis antetulit, verus fuit.

T H A V M A Γ.

Protei Homericæ imagines ad Parthenium translata. Mina & dira in hostes Virginis. Proteus, chaos; eius forma, Elementa.

INNUMERAS video formas, & admiror: placidas omnes, venustas, emendatas, & capior. Quæ varietas, ea voluptas. Quoties mutatur versus, nouâ imagine ridet, nouâ elegantiam allubescit. Sic pulchra Pietas, quia Virgo est: *Pulchra ut Luna, electa ut Sol*. Terribilem soli mali confessi sunt: & sic dicitur, *Terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Ergo terrorem quoque Parthenius sumet Proteus, sed in hostes Virginis: erit, quidquid Homerus fingit: Leo, & rugiet; draco, & terrebit; panthera, & sæuiet; aper, & proscindet. Quid? vndas flammâsque dabit; suffocabit, & vret. Si noui Ebionnes & Cherinti erunt, qui Virginitatis florem Virgini nefario dogmate eripiunt; Leonis for-

mam Proteus noster sumet: si noui Heluidij, qui post partum; Draconem dabit: si noui Nestorij, qui non è Virgine Deum, sed hominem è non Virgine prodiisse Christum docent, in Deum pariter Virginemque impij; exsurget Panthera, læsumque numen vindicabit: si noui Apollinares & Eutyches, qui natum quidem è Virgine Christum volunt, sed carnem è Virgine non sumpsisse; Apri violentiam inuenient. Vos alij, quicumque estis, aquam timete & ignem: quæ optima vocauit Pindarus, pessima furor diuinus faciet. Pereant, malè pereant, qui Virginis audent nomini obstrepere, dotes laudésque eius imminuere. Pereant, aquâ & igni indigni sunt; indigni elementis omnibus; indigni qui uiuant. Apud Vatem sine oculis Argum, non prodigia ista, sed mysteria puto. Proteus enim, vt Heraclides explicat, nihil aliud quàm Chaos, & *κεχυμένης ὕλης ἀμορφος ἀργία: diffusa materia informis quadam segnitie*. A Prouidentiâ (hæc Εἰδοθεία, Protei filia) separata rerum formæ fuerunt, mundus mundo redditus, elementa distincta. Proteus, qui vna prius natura fuerat, in multas deinde species diuisus. Hinc leonis facies, hinc draconis, hinc arboris, hinc aquæ.

Ἄλλ' ἦτοι πρόπτα λέων γένετ' ἠϋγένειος,
 Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάββαλις, ἠδὲ μέγας σῦς.
 Γίνετο δ' ὕγρον ὕδωρ, καὶ δένδρον ὑψιπέτηλον.

Sed

*Sed leo principio factus, ceruice iubatâ,
Inde draco, & panthera ferox, & mox aper
ingens:*

*Hinc fluit in laticem, hinc formam capit arboris
alta.*

Leone Poëta ignem, siue ætherem designat; dracone, pantherâ, apro tellurem; arbore in altum exsurgente, aërem; aquâ aquam, sine ænigmati velo. quemadmodum paullò antè simpliciter legitur:

— Καὶ ὕδωρ, καὶ θεομοιάς πῦρ.

— *Et liquor atque ardens diuinitus ignis.*

Sed Proteus noster à terrâ, aquâ, aëre, igni, in cælum transcendit. Quid? vt formas non caducas sumat, stellas exprimit: vt Virgini placeat, quidquid infrâ iacet, despicit. Hos ô sumam animos Diua! ascendam, ad te veniam, Deum te monstrante inueniam! Sed hei, me terra onere suo tenet, imagine vestit: ἀντέξωτος non sum, & sicut tamen tuus esse cupio. Descende Virgo, ad me veni; & hîc Cælum facies. Veni; & in terrâ stellæ omnes lucebunt. Sic incipiam Cælestis esse: sic verè Parthenius esse. Intelligam quantum Proteus stellas exprimat, quanto Proteum Dotes tuæ vincant.

THAV.